









Anno MDCCXXIX.

De Cataracta. Henrici.

- Fonte medicato Lignicensi. Rückert.

MDCCXXX

- immoderata haemorrhoidum fluxione. Geussenkline.

- haemorrhagia cerebri. Clauser.

- haemoptysis. Harnisch.

- fontis Padani et Schwabacensis convenientia.  
Haendtschky.

- haemorrhagia uteri. Luders.

- Doloribus. Ludolf.

- oryctographia Hallensis. Lerche.

- Venae sectionis abusu. Wahl.

- haemorrhagia viarum urinariarum. Heinsius.

Theses anatomico-medicae miscellaneae. Adolphus.

MDCCXXXI.

De medicina simplicissima summae efficaciae. Pyl.

- Dolore cardialgico. Habicht.

- Dolore cephalico - Bentzig.

- metastasi. Fontag.

- Dolore et spasmo ex calculo felleo. Nitsch.

- Differenti medicamentorum operatione secundum diversam corporis idiosyncrasiam. Nimptsch.

- cura partus modo enixi et lactantis. Kowles.

- acidulis Vetera quensibus. Rhonene.

- Dolore ex calculo renum. Pöblin.

De vera perpetui mobilis in homine vivo  
Idea. Wackler.

- genuina Chlorosis indole, origine et cura-  
tione. Emmrich.
- vitae animalis confederat. theoretico-pract.  
Tralles.

MDCCLXXXII.

- cognoscenda corporis humani natura ex  
effectu remediorum. Gossey.
- acido vitrioli viscoso. Hoffmann.
- vero universae Medicinae principio in  
structura corporis mechanica reperiundo.  
Grosse.
- febrectudo ipsa motuo. Hutter.
- purpura scorbutica ex praegressu haemor-  
rhoidum fluxu nimio. Cottenij.
- vera mali epileptici causa. Buttner.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE

**FRONTE MEDICA-  
TO LIGNICENSI**

QVAM  
AVSPICE DEO OPTIMO MAXIMO  
SVB PRÆSIDIO

**DN. FRIDERICI HOFFMANNI**

FACVLTATIS MEDICÆ SENIORIS  
PRO

**DOCTORIS IN MEDICINA GRADV**  
RITE OBTINENDO

*ad d. IV. Octobris anni clbcccxxix.*

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SISTET

AVCTOR

**Christian Ehrenfried Ruckert.**

LIGNICENSIS SILESIVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



DISERTATIO DE ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA  
FONTIS MEDICAE  
AUCTORIS HONORABILIS  
SVM TIBESIDIO  
DN. FRIEDRICH HOFFMANNI  
LACRATAE MEDICAE SENIORIS  
ET PRD  
DOCTORIS IN MEDICINA GRADU  
HABITATO  
M.D.C.C.LXXV  
LIPSIAE  
APUD CHRISTIANUM WILHELMUM  
LIBRARIUM  
IN QUAEVILIA







## PRÆFATIO.



Inter tot præstantissimas  
dotes, quibus divina clementia Si-  
lesiam, patriam meam, tam largi-  
ter beavit, ut haud immerito cum  
felicissimis quibusvis regionibus  
certare possit de prærogativa, haud  
postremum locum obtinent soteriæ aquæ, tam calidæ, quam  
frigidæ, quæ passim liberali multiplici vena in ipsa scatur-  
riunt. Ex calidis enim thermalibus aquis celebratissimæ  
sunt Hirschbergenses, in Ducatu Jauroviensi, a *Cl. Adolpho*  
peculiari dissertatione descriptæ. Dein salubritatis etiam  
laudem ferunt minus fervidæ thermæ Sancti Johannis, qua-  
rum meminit *Schwenckfeld in stirp. & fossil. Siles. catalog.*  
*pag. 404.* nec non *Henelius in Silesiogr. part. I, pag. 613.* Qui-  
bus accedunt Landecenses in comitatu Glacensi thermæ,  
quarum vires cum *Kremero* edisseruerunt *collector. histor.*  
*morb. Vratislav. anno 1519.* Sed longe major adhuc  
frigidarum mineralium aquarum numerus. In Ducatu Jau-  
roviensi celebrantur Girense acidulæ, nec non in oculo-  
rum vitiiis & intestinorum doloribus proficius fons pagi Sen-  
dorff

doff, der Kirch-Brunn dictus. In Ducatu Swidnicensi  
 nobiles virtute sua sunt Tanhausenses & Reichenovienſes  
 acidulae, maximeque ea, quæ in pago Altwassr benigna  
 admodum vena salient, de quibus in *Sileſiographia Henelia-  
 na reuov. M. N. C. Dec. I. An. IV. obs. XCVII.* nec non pec-  
 culari tractatu uberius actum. *Schwenckfelt l. c. pag. 357.*  
*ſq.* binorum acidulorum fontium, quos vocat Bier-Brunn-  
 nen, mentionem injicit, quorum unum non procul a flu-  
 vio Quisso, juxta pagum Fegesbeutel, alterum in pago  
 Liebwerda, undam emittere & utrumque febribus & cali-  
 dioribus morbis mederi asserit. Alium foterium prope  
 Boleslaviam fontem amœnum, regium dictum, carmine  
 celebravit *Opitius Sylo. lib. IV.* & alium prope Nissam *Cal-  
 gius epigr. Lib. V.* Neque inglorius est ille prope Hirsch-  
 bergam in pago Straubitz reperiendus, vulgo der Schwe-  
 ſel-Brunn, cum miraculoso illo, quem corrupte appel-  
 lant den Wöckel-Brunnen, ad radices montis, quem vo-  
 cant den Hausberg. Salsulam fontem in confiniis ar-  
 cis Fürstenstein cum *Schwenckfelto* laudat *Henelius l. c. &  
 Adolphi diss. de salubr. Siles.* Neque minus magnæ olim vir-  
 tutis fuisse fertur scatebra in pago Olbersdorff, prope Fran-  
 ckensteinam, hodie tamen minus celebris. Hermsdorff-  
 ſensis autem prope Goldbergam, nec non ille qui in ditio-  
 ne Seiffersdorffiana est, unacum alio, qui circa Frideber-  
 gam apud pagum Kunzendorff prodit, nostris adhuc tem-  
 poribus salubrium nomen gerunt atque tuentur. Ut mit-  
 tam celebres in Comitatu Glacensi Reichenavienſes, Salz-  
 burnienſes & Oberlanginavienſes acidulas. Tam uber-  
 salutarium fontium in Silesia est proventus. Neque tamen  
 dubitandum, longe plures adhuc, si curatius inquireretur,  
 passim fore reperiendos. Ita enim omnino esse, restatum  
 facit

facit experientia, dum subinde, nonnunquam casu, nonnunquam attentiori investigantium scrutinio, noviter innotescunt scatebræ, medicinali virtute pollentes. De quo domesticum quasi mihi superit exemplum fontis Illius, qui nostra memoria, in patria mea, Lignicii, coli cœpit, magnamque jam salubritatis famam adeptus est. Mentionem hujus primus quidem, quantum memini, publicam fecit *Cl. Adolphi*, in *dissert. de salubr. Siles. XIII. hodie*, inquit, *frequentis usus est fons ille salutaris Lignicensis, in multis morbis apprimè proficuus*. Inserta etiam est *annalibus medico-physicis Vratislaviensibus*, quas vocant *Samuntium gen von Natur-und Medicin-Geschichten anni MDCCXVII. mense Augusto*, brevis narratio de ortu, principiis & effectu salutari in arthritide hujus aquæ, & *anni MDCCXIX. mense Decembre*, delineatio structuræ edificiorum, nec non machinæ, cujus ope aqua in balnea agitur. Sed nequam hæc sufficere possunt iis, qui exactam hujus fontis cognitionem obtinere cupiunt, tantum abest, ut saluberrimam ipsius in medendo facultatem cum recta utendi methodo exhauriant. Quare ego haud infructuosum aut ingratum laborem me suscepturum fore existimavi, si reditum in patriam meditans, ex ipsius sinu argumentum speciminis inauguralis prius exhibendi depromerem, omniaque quæ ad fontis hujus Lignicensis medico-physicam considerationem referenda, penitus excuterem ac uberius exponerem. In quo quidem perficiendo, multum, quod cum grati animi significatione profiteor, me juvit, singularis amici benevolentia, qui absente me, non modo physico-chymicam harum aquarum explorationem instituendo, ipsarum principia curate investigavit, sed & in vires atque effectus inquisivit, tam apud illos, quos iisdem fa-

natos esse rescivit, quam etiam celeberrimos Practicos, maximeque amplissimum Phyticum, Dn. D. *Hobergum*, loci in quo scatebra est, Dominum ac possessorem. Ita autem hanc disquisitionem tractare placuit, ut primum agerem de fontis loco, situ, ortu aliisque circumstantiis externis, dein de natura & principiis ipsius constitutivis, ac postremo de medico ipsius usu & adhibendi modo. Annuat divina clementia conatui & laborem benedictione sua fortunet. Tu vero, benevole lector, suscipe tanquam studiorum primitias, & si forsán alicubi lapsus Tibi videbor, ignosce, aut da meliora.

## CAPVT. I.

DE

### Loco situ ortu & aliis circumstantiis externis.

§. I.

**H**Aud exigua certe est commendatio, quæ fonti nostro, ex loci in quo scaturit, & nobilitate, & amœnitate accedit. Natale enim solum ipsi obtigit Lignicium, urbs ob antiquitatem celebris, Ducatus sui princeps & qua teste *Henelio l. c. cap. VII. §. 83.* nulla Silesiorum, si solam metropolin Breslam excipias, fortior ac venustior. A mœnibus hujus urbis, ante portam Glogaviensem, intercapedine unius horæ quadrantis, est amœnissimus secessus, quem vocant das *Grün-Thal*. Ab uno quippe latere surgit cultus jam & subactus tractus montis,

is, quem dicunt *den Töpfer-Berg*, sive rectius *den Töp-  
pel-Berg*, ab urnis sepulcralibus, quas olim & haud ita  
pridem effossas ibi esse, constat. Ab altero latere horti fron-  
dosus arboribus fruticibusque consiti & prata floribus her-  
bisque virentia jucundissimum faciunt aspectum. Acce-  
dunt rivuli solum passim irrigantes, maximeque ille, qui  
ob colorem quem refert nigricantem, audit *das schwarze  
Wasser*, & a brachio Catti fluvii receptus, ob diversitatem  
undarum quas uterque trahit, spectaculum confluentis  
præbet maxime amœnum, In viridi hac valle erectum est  
prædium suburbanum, venustate nulli secundum, in cu-  
jus area fons noster laticem suum emittit. Ipsius autem fun-  
di dominus est vir an. plissimus atque experientissimus, D. D.  
MARTINUS HOBERG, Sacrae Cæsareæ & Regiæ Maje-  
statis Aulæ Medicus & Physicus Lignicensis celeberrimus,  
quo prædium tenente, aquæ nostræ salubritas primum in-  
notuit, scaturigo culta est & ipsius sumtibus commodis æ-  
dificiis instructa.

§. II.

Nimirum fontem nostrum soterium esse & minera-  
lem, antehac diu novit nemo, neque etiam in impressis  
aut manuscriptis majorum monumentis ulla ipsius fit men-  
tio. Sed anno 1709. salutaris ejus indoles primum  
patescere coepit atque cognosci. Fragrans quippe & sul-  
phureus aquæ odor & adstringens ipsius sapor, curiosus at-  
tendentibus movit conjecturam, majoris ipsam esse digni-  
tatis atque virtutis, quam ut, uni eousque factum, domesticis  
tantum usibus serviret. Conjecturam uberius confirmavit  
indoles circum jacentis soli, ab aliis longe diversa, argilla-  
cea ut plurimum, siccior, arenosa, martiale quid haud ob-  
scure prodens, cum reperiundis passim rophis & glebis fer-  
rugi

rugincis, ochra lutea martiali refertis. Hæc spectantes admiratione & curiositate permoti, varia instituerunt experimenta, quibus aquæ indoles detecta & salubritas ipsius magis magisque perspecta. De qua sic luculenter convictus laudatus fundi possessor, invitus quidem, anno infuquenti, de aptando communi usui fonte cogitavit & in uno scaturiginis latere balnearia cum ædibus pro excipiendis commodis hospitiiis peregre advenientibus extruxit. Sed brevi adeo increbuit salubritatis hujus aquæ fama, ut anno c1510ccxi. nec balneum, nec ædificia sufficerent multitudini ibi confluentium & salutem quarentium. Unde necessarium fuit, ut in sinistro etiam scatebræ latere & balnearia, & hospitia, erigerentur, eodem modo ac in dextro, eaque propter ædes ad dextram das alte, & ad sinistram das neue Bad, audiunt. Et hæc etiamnum hodie hujus fontis facies est, quam æri incisam exhibent *annales medico-physicæ Vratislavienses anno c1510ccxi. mens. Aug.*

§. III.

Interim quia aqua nostra scaturit frigida & ad balnea prius est calefacienda, haud exiguis sumtibus artificiosa constructa est machina, quæ aquam ad caldaria & balnea advehit, iterumque inde abducit, ne quicquam commodo usui desit. Videlicet binæ antliæ attractivæ hauriunt primum ex scatebra aquam, quæ dein ope canalis cuprei infunditur ahenis cupreis ac in iis subdito igne incallescit. Ex ahenis tum per similes canales cupreos in terram defossos, in dextrum æque ac sinistrum balneum agitur & immittitur calefacta aqua. Cujus calorem ut insidentes pro lubitu temperare possint, alius adhuc canalis est, qui frigidam advehit & referatus effundit. Abundantem demum aquam

aquam ex utroque balneo educit similis alius canalis, eandemque transmittit ad receptaculum viliorum usui dicatum, quod vocant *das Armen-Bad*. Ipsa autem hæc machina, pariter æri insculpta videnda in *annal. physico-med. Vratislav. l. c.*

§. IV.

Neque prætereundum, binas alias adhuc in confiniis nostræ esse scatebras, notatu dignas. Vna salit ipso in ædificio ad dextrum latus sito, & aquam emittit, quæ alvum laxandi facultate, eodem fere modo ac Egranæ potaret, nec sine fructu hunc in finem a balneantibus potari eam posse autumo. Altera, Hedvvigæ nomen gerens, est a latere hujus prædii, ubi ad montem, quem dicunt *den Sybillen-Berg*, itur. Hujus aqua, mineralis quidem contagii expers, præcipuos tamen bonitatis characteres, puritatem habet & levitatem, quibus innumeri fere alii tam in Lignicensi districtu, quam vniuersa Silesia fontes, sunt præditi. Destinatur autem hæc aqua movendæ machinæ illi fonti soterio adstructæ, eumque in finem per incile ligneum longius quam per ducentas ulnas eo derivatur.

CAPVT II.

DE

Natura & principiis constitutivis  
fontis.

§. I.

**A** Qua fontanâ omnis, quantumvis pura ac limpida, semper tamen in fluidi sinu solidi quippiam, modo uberiori, modo parciore copia, recondit. Neque etiam

**B**

iam

iam id aliter fieri potest. Illi enim cœci subterranei recessus varii generis salibus, mineralibus terrisque scatent, quos dum perlabitur aqua, solvit subinde & eliquat ex iis nonnihil atque in sui connubium admittit. Sicuti vero ea, quæ terra in sinu recondit, non unius, sed diversa admodum sunt indolis atque textura, modo laxioris, modo compactioris; ita utique etiam accidit, ut humor aqueus particulas ex ipsis abstrahens atque absorbens, aliam atque aliam fortiatur indolem, ac vel copiosius, vel parcius eisdem imprægnetur. Ex quo quum diversa aquæ emergat facultas & virtus, necessarium omnino, ut si medico usui impendenda, prius certi simus de elementis atque principiis ipsius, quo postea iis perspectis, eo rectius de viribus & utilitate judicare possimus. Igitur iustratis fontis nostri incunabulis, instituti ratio nunc exigit, ut de ingredientibus etiam cognoscendis, sum sollicitus. Hæc vero non alia ratione quam per examen physico-medicum innotescunt. Quod quidem a Physicis variis modis, majori, vel minori apparatu, institui solet. Ego vero ad ductum Ill. Dn. PRÆSIDIS in *meth. examin. aqu. salut.* in scrutinio hoc potissimum rationem habebō elementi humidi, κατ' ἐξοχὴν, subtilis spirituosi & demum solidi elementi.

## §. II.

Primum igitur & præcipuum fontis nostri elementum constituit humidum illud, sive aqueum κατ' ἐξοχὴν, quod reliqua in complexu fovet. Quod quidem sicuti copia reliqua longe superat, ita ab ipsius indole magnum utique salubritatis momentum pendet. Jam vero bonitatis aquarum indices certissimi sunt, puritas, levitas & sapor: Et hi etiam de nostra bonitatis testimonium ferunt. Nam ex levissimis eam esse docet ponderatio, instrumento statico



tico facta, qua constat, eandem ad levitatem aquæ pluviæ  
 lis quam proxime accedere. Puritas dein ipsius tanta est,  
 ut vitro infusa limpidissima compareat, nihilque prorsus  
 habeat, quod radiorum luminolorum transitum impediât.  
 Sapor porro gratissimus est & sub blanda dulcedine, lenem  
 amicumque adstrictionis sensum linguæ imprimit. Est præ-  
 terea mollis, non aspera aut cruda, & propterea antequam  
 ad medicum usum traduceretur, domestico & culinari ser-  
 viit quam optime. Frigida demum est, in primis æstate,  
 sed hieme subcalida.

§. III.

Alterum quod scrutinium meretur principium, est te-  
 nue illud & spirituosum. Hoc uberius incolere aquam  
 fontis nostri, plura sunt quæ confirmant. Ex scatebra  
 enim hausta innumeras bullulas a vitri fundo ad superfi-  
 ciem emittit, ubi vel illico crepant atque evanescent,  
 vel lateribus sese apponunt & successive disparent. Lon-  
 ge major harum est proventus, si aqua agitur, aut ad  
 evaporandum in patina ampla igni imponitur. Hac au-  
 tem bullulæ nihil utique aliud sunt, quam subtilis ætherea  
 substantia in aquæ sinu conclusa, eademque commota, ad  
 superiora eluctans & exitum affectans. Idem hoc ge-  
 nerosum elementum in causa est, quod aqua nostra nec  
 gelidissima hieme in glaciem densetur, neque etiam tam  
 facile & cito, quam alia, hoc spiritu orbæ aquæ, putredine-  
 nem concipiat. Sulphureus quoque ille & penetrans o-  
 dor, qui nares in balneis ferit, luculenter arguit, ab aqua  
 in patentia receptacula ex conclusa vena effusa aufugere  
 tenuem hunc & a remissiori aeris compressu non ampli-  
 us coereendum spiritum. Quin, si aqua recenter ex scate-  
 bra hausta in cucurbita vitrea destillationi subjicitur, ex-

spirat vaporem volatilem sulphureum, naribus percipiendum, id quod longe magis accidit, si in ampliori patina carbonibus ad exhalandum imponitur.

## §. IV.

Tertium quod explorandum ingrediens, est solidum, ad cuius indolem perspicendam hæc faciunt observata & experimenta. Memini jam superius, solum in confiniis scatebræ arenosum, haud obscure prodere intermixta tenuia martis ramenta. Nec vana hæc conjectura. Effossa enim arena & aqua elota, facta calcinatione, genuinum præbet martis crocum. Canales dein omnes atque incilia, quæ transmittunt atque recipiunt aquam hanc, intus dura & densa crusta obducuntur, quæ colorem fulvum, ac ubi proxime aqua imminet, ex rubro brunum obrinet, diffracta subinde lapillos minores bruni coloris, quos *Schwenckfelt de fossil. & lapid. Siles.* ophthalmicos dicit, recondit, totaque ex lamellis sibi invicem instratis composita esse, comparet. Crusta hæc igne cremata rubiginis plane assumit colorem ac servat, linguæque admota, salisum sapit & coheret, eodem fere modo, ac calcinato sale tartari, cum limatura martis, evenire solet. Neque minus ochraceum hoc concrementum, igne ustulatum, si solutioni salis ammoniaci cum aqua simplici commiscetur, sub mixtione urinosum mordentem dispergit odorem. Quod si vero hæc ex canalibus deprompta materia cruda cum æquali salis ammoniaci portione igni sublimatorio committitur, surgunt flores flavescentes, qui repetita operatione, eundem colorem atque nitorem nanciscuntur, ac illi chalybeati flavi salis ammoniaci flores Zvelfferi, ad extrahendam etiam spiritus vini ope martis tincturam apti.

Quin

Quin indusia balneantium flavo inficiuntur colore, & tenui quasi martis rubigine inducta esse videntur.

§. V.

Ipsa aqua inperiso gallarum pulvere, flavescentem tantum induit colorem, ubi vero ad scaturiginem experimentum instituitur, tinctura emergit ad rubicundam magis accedens. Instillato in aquam e fonte haustam nitri, aut vitrioli spiritui, nulla prorsus exoritur effervescentia; neque etiam admixtus violarum sirupus caeruleum nativum exuit colorem. Quod si vero major aquæ copia exhalationi committitur, residuum ab ea sal, denuo in aqua solutum, lixivium præbet, quod admixto violarum sirupo viridescit. Idem accidit, quando ochracea illa in aquæductibus concrefcens & calcinata materia, in aqua liquatur, cui si postea spiritus vitrioli majori in copia affunditur, sal emergit, tartari vitriolati genium referens. Sal autem evaporatione ex aqua cductum, libero aeri expositum deliquescit & haud secus ac tartari oleum per deliquium diffluit.

§. VI.

Ex quibus omnibus innotescit, aquam nostram nihil, vel parum admodum vitriolici in connubio suo alere, quod alias si inest, adjectis gallis, nigram inducit tincturam. Neque etiam ea alcalini elementi in fonte nostro copia, ut singularis inde virtus expectari, aut ipse acidulis annumerari possit, quippe quæ nunquam non, observante id *prill. Dn. PRÆSIDE*, cum acidis pugnant, cuius confictus signum effervescentia, quin indito vino tantum acidulo, numerosissimis bullulis emissis ebulliunt. Martiale autem fixum elementum, cum spirituoso sulphureo in fonte nostro eminare, uberius evincunt observata & experi-

mentā §. IV. & III. adducta. Quæ aqueo vehiculo excepta, genuina ipsius sunt ingredientia, a quibus pendet salutaris & medicinalis facultas.

## §. VII.

Quare soterius hic fons merito refertur in classem eorum, qui ferrati audiunt, vel martiati, probe ab acidulis distinguendi. Meminit horum dudum *Plinius*, & passim jam scaturiunt, quos cum nostro eiusdem esse indolis, tentamina docent. Sic in Gallia hodie celebratissimus est fons Passyensis, in confinibus Lutetiæ Parisiorum, cuius examen phytico-chymicum reperiendum in *historia Academiae regiae scientiarum anno 1700* cccxxvi. Potissima huc redeunt. Aqua clara, pura, saporis paululum est adstringentis, cum subtili & penetranti acrimonia, hasque qualitates per tres integros menses servat, si vasis bene obturatis in frigidum locum reponitur; si vero in patente vase aeri libero solaribusque radiis exponitur, vel subito leni igne incalescit, turbida evadit, flocculi crocei ferruginei ad fundum secedunt, sapor subadstringens perit & leni potius salsedine linguam afficit. Materia post evaporationem residua solida, coloris est flavi, tantisper splendescens & salsum alcalinum sapit. Sal eductum iterumque solutum, syrupo violarum admixtum, viridescentem ipsi inducit colorem, & siccatum, in libero aere, sub diurna mora deliquescit. Unde quidem recte concludunt, croceum cramentis relictum colorem esse ab intermixtis ferreis & splendorem a seleniticis particulis, prætereaque adjunctum esse alcalinum elementum; sed quia nec pondus aquæ exhalationi commissa, nec pondus materiæ resistentis additum, nec proportionem singulorum, nec inde pendentem facultatem, alcalini maxime salis, exacte determinare

nare licet. Ne dicam, difficilius adhuc reddi iudicium ob omiffam indagacionem levitatis aquæ, quæ ramen subtilitatis index multumque effectui medicinali velificatur.

§. IIX

Longe uberior ferratarum ejusmodi aquarum in Germania est proventus, quæ iridem exacte cum nostro conveniunt. In Marchia celebrantur Freyenwaldenses, quæ humorem habent limpidum, saporis subadstringentis, hieme non congelantur, nec facile purefcunt, calefactæ dimitunt flocculos crocei coloris. Harum examen infuit *Dn. PRÆSES* & infuit *Medic. consult. part. i. Dec. IV. Caf. V. pag. 138*, quo conftat, ex binis huius aquæ menfuris, post exhalacionem remanere drachmam materiæ flavescens terræ, cum spiritu vitrioli acriter pugnantis. Martialis quoque indolis est non inglorius prope Dresdam Radebergensis fons, cui quidem nonnulli vitriolum martis inesse putant, sed *ill. Dn. PRÆSES* tentaminibus rationibusque compluribus in *Medicin. consult. part. III. Dec. IV. Caf. III. pag. 177*. demonstravit potiffimam ipsius facultatem esse ab aquæ levitate ac subtilitate, cui martialis terræ nonnihil admixtum, & motas objectiones in *opusc. physico-med. tom. II. pag. 497. sqq.* refutavit. Ab aliquot præterea annis in comitatu Hohenloico innotuit fons Eppacensis, quem uberius descripsit peculiari libello *Bauerus & Dn. PRÆSES* etiam in *Medic. consult. part. V. Dec. III. Caf. VI. pag. 196. sqq.* Hic pariter in sinu recondit subtilem martis crocum, quem sapor subadstringens, purpureus a gallis color, rubigo indolis balneantium & putamini ovi injecti adhærens, produnt, cum sedimento, quo eloto ac fali ammoniaconupto, per sublimacionem flores nitidissimi coloris

coloris fiunt. Habet vero præterea etiam sal medium amaricans, ad Ebshamensis, seu Sedlicensis genium accedens, in quo tamen alcali eminet, uti patet ex viridescente colore, quem sirupus violarum aquæ commixtus inducit, quod alias in fontibus largius etiam alcalinis non contingit. Neque minus in complexu fovet bolarem calcariam terram, quæ cum acido conflictum inicit, & in causa est, quod a tartari oleo per deliquium parato, pelluciditas aquæ turbetur. Maxime omnium vero martiatorum fontium classem ducit is, qui Lauchstadii in Misnia scaturit, quem primus cum cura inspexit & ad usum traduxit, *ill. Dn. PRÆSES*. Hoc enim teste in *opusc. physico-med. tom. II. pag. 390. sq.* adeo in eo redundant moleculæ martis, ut non modo linteamina balneantium & injecti ovi putamen croceo colore imbuant, sed & compactæ canalium lateribus sese crustæ instar apponant, quin hieme ad fundum conceptaculi subsideant, ut frustulatum eximi queant. Cui concremento, quod implicitus sit verus martis crocus, patet experimento, quo ex uncia una huius cramatis, elori prius, dein calcinati, ac postea cum æquali parte salis ammoniaci remixti, per sublimationem elegantissimi martiales flores, pondus duorum scrupulorum habentes, elici possunt. Nec prætereundus fons ille, qui ante aliquot annos apud Variscos, in pago *Nieder-Muerbach*, innotuit, cuius martialis indoles ex ochra canalium & purpureo ab injectis gallis colore elucescit, eidemque cum spirituofo inhabitante principio & aqua subtili ac levi, virtutem conciliat medicinalem haud exiguam. Ut mittam *Bebranam* in *Thuringia*, *Sulzensem* prope *Numburgum*, nec non *Weissenburgensem* in *Franconia* aliosq; forsitan adhuc reperiundos fontes, ob incolens martiale principium nobiles & commendabiles. CAP.

CAPVT III.  
DE  
Viribus & usu fontis.

§. I.

**H**Atenus de principiis & ingredientibus fontis nostri; nunc de ipsius viribus ac usu dicendum. Ipsa autem convenientia, quam Lignicensi cum aliis spectata virtutis & celebribus fontibus ratione elementorum intercedere postremo pluribus adstruxi, planum ultro facit testatumque, ipsum non minus ac illos medica virtute pollere & usum esse saluberrimi. Ut tamen de eo uberius omnibus constet, cuncta sigillatim ordine perquirere iuvabit. Iam vero ex allatis experimentis certum est, genuina aquæ huius elementa, a quibus virtus ipsius repetenda, esse aqueum, spirituosum tenue & martiale fixum elementum. De aqua igitur dixi quod pura sit, levis atq; subtilis. Dotes hæc atq; proprietates ita sunt comparatæ, ut si non præcipuum, saltem non minimum, ad salutarem effectum conferant momentum. Eiusmodi enim aqua expeditissime per omnes quantumvis minimos corporis canaliculos decurrit, promte ubique penetrat simulque penitissimis recessibus absorptas minerales particulas insinuat, nec corpus gravat, sed cito iterum exit. Deinceps magnæ etiam est virtutis ad succos spissos, crudos & male coctos diluendos, colliquandos, fluxiles reddendos, eluendos atque adeo obstructions a lentore pendentis referandas expediendasque. Neque minus morbosa in corpore saliva diluit atque disrarat, quo minus pravum exserere possint effectum, eoque egregie corrigit ac temperat, simulatque sordes per congrua emunctoria successive everrit. Fibras etiam passim cum dolore strictas, aut rigidas, laxat, & abstergendo vellicantem stimulum, ad naturalem eas traducit & æquabilem tensionem. Hinc est, quod latices nonnulli, quamvis

C

omnis

omnis terrei & mineralis contagii expertes, præstantissimæ tamen, tam interno, quam externo usu, adversus multos & longos morbos sint virtutis, magnamque salubritatis habeant famam, quorum in numero sunt maxime Schlangenbadenses in Hassia, Toeplizenses in Bohemia, Schleusingenses in Franconia, nec non fons ille qui noviter admodum in Comitatu Mansfeldensi Danckerodæ inclaruit, & ea methodo quam Dn. PRAESES passim in scriptis suis publicavit, a *Müllero*, Physico Hartzgerodensi, peculiari schediasmate est descriptus.

## §. III.

Non minus præstans est virtus, quam fonti nostro foenerat alterum spirituosum subtile elementum. Est hoc soboles fluidi illius catholici, purissimi & maxime penetrantis ætherei, quod non modo universum aëris, seu potius atmosphæræ spatium, sed & subterraneos tractus pervagatur, ubi, quando occurrit perlabentibus aquis, iisdem sese ingerit, in iis sistitur ac demum cum ipsarum vehiculo exsilit. Est autem mineralis hic spiritus quasi anima aquarum mineralium nativamque earum integritatem quamdiu ipsis inest servat; quam primum vero, quod ob tenuitatem suam facile accidit, aufugit, protinus & tota mixtio dissolvitur, sapor & color perit &amenta mineralia ex aquæ connubio secedunt. Idem hoc spirituosum elementum admirabile plane aquis ad medicum usum vires inspirat. Subtilis enim & elasticæ indolis est, eaque propter quaquaversum nititur, universum corpus pervadit, intima subit & per angustias strenue elucatur. Quod dum perficit, junctam sibi aquam simul in venas omnes diducit, ut ubique effectus maxime aperientes & reserantes edere queat.

## §. III.

Accedit tertium quod fontem nostrum incolit elementum, martiale-terreum. Ex quo quam egregia facultas aquæ accedat, eo minus est quod dubitemus, quo magis



gis in comperto est, ferrum esse ex metallis fere unicum, quod virtute polleat vere medica & per artem etiam largiatur medicamenta longe præstantissima Potissima tamen quæ exinde exsurgit virtus, est roborans leniterque adstringens. Dum enim martiales hæ molecule superfluum humidum imbibunt atque resiccant, fibrasque nimis remissas modeste adducunt, his propius coeuntibus, fit, ut partes ex ipsis coagmentatæ compactiores fiant majusque robur acquirant, ut non modo contentos canalibus succos vegetius circumagant, sed & subsistentes passim quatiant, premant iterumque in motum cieant, quo partes iisdem obfessæ, aut gravatæ liberentur & ad naturalem suam functionem iterum traducantur.

§. IV.

Neutiquam tamen periculum est, ne martiale hoc principium roborans & subadstringens, nocivum sanitati adstrictorium edat effectum. Quamvis enim haud levia sint damna, quæ a martialium per artem præparatorum medicamentorum usu subinde accidunt; longe tamen alia est ratio horum, quam aquarum martiatarum, maximeque nostræ. Is quippe qui aquæ inest martis crocus, nec per ignis torturam sulphure suo subtili est orbatus & terra ipsius alcalina in calcem usta, neque etiam per menstruum acidum corrosivum nocens ipsa facultas communicata, sed nativam habet integritatem, qua neutiquam, nisi usta præpostero, tam facile injungere potest detrimentum. Nec solus & sibi relictus in fonte nostro mars est, sed aquæ copiosæ, nec non alcalino sali sociatus, quæ efficaciam ipsius quasi ad temperamentum reducunt. Unde licet ipsi in prima corporis regione, occurrant acidi succi, eminentius adstrictorio effectui faventes, copiosum tamen succurrit humidum, quod acidum diluit fibrasque mulcet, quo minus strictura affici queant infesta. Alcalini autem salis, quamvis exigua quantitate, connubium, facit, quo mi-

nus obhærescentes lenti succi, accedente adstringente vi, firmitus impingantur, sed incidantur simul, abstergantur & e latibus everrantur, simulatque leni suo stimulo fibras sollicitat, ne nimium obrigescant, sed in debita tensione ac motu maneant, eodem modo ac artis peritis solenne est, ad arcendam noxam martialibus commiscere salia alcalina, vel neutra.

## §. V.

Quæ quum ita sint, nemo non facile judicabit, Lignicentem fontem, in morbis quamplurimis esse saluberrimum. Duplici autem, externo scilicet & interno usu, conducit. Interne quidem non adeo certæ & multæ utilitatis esse videtur, neque hucusque frequenter & fere unquam hac ratione fuit adhibitus; interim tamen neutiquam etiam ad potationem profusus est incommodus. Roborans enim ipse est facultas, eaque propter quando stomacho cum intestinis languente, appetentia perit, digestio vacillat, venter inflatur, ventriculus viscida rejicit, aut alvus nimis est fluxa, aut cruda & semiconcocta egerit, potum aquæ nostræ proficuum fore, non sine ratione arbitror. Neque minus ex usu esse poterit in viscerum abdominis debilitate, qua humorum per ipsa comæatui remora injicitur, in hypochondriaco & hysterico malo, uteri vitiis, mensium nimio, nec non albo fluxu, sterilitate ex laxitate nimia, & ubi excretionem sanguinis per sedales venas, aut mictum succedentem, compescere expedit. Dein aperiente & abstergente, nec non acrimoniam temperantē pollet virtute. Hinc non infructuosum fore ipsius potum censeo, lienosis & hepaticis, quos icterus, chlorosis, & cachexia tenet, nec non iis, quos intermittentium, maximeque quartanæ contumacia, male habet. Quin dum secretiones sordium promovendo & morbosa salia diluendo succorum impuritati succurrit, in morbis qui huic debentur, scorbuticis & tartareis, arthritide, podagra, ischiatide, nec non renum & vesicæ calculo, apprime conducit.

## §. VI.

§. VI.

Sed omnes has virtutes, quas fontem nostrum interne usurpatum possidere dicitur ratio, longe superant illæ, quas ipsum externo usu exserere, & ratio suadet, & experientia uberrime docet. Omnes autem saluberrimi variis in morbis effectus partim aquæ subtilitati, partim etiam martiali roboranti elemento debentur. Quare ubicunque languida, fessa & robore exuta sunt corporis membra, summopere commendandus est aquæ nostræ in balneo usus. Sic quando post apoplecticum insultum paralytica remanet in artubus affectio, aut post multos & diuturnos articularium morborum paroxysmos, partes quas exagitarunt marcidæ fiunt & ad subeundos motus ineptæ, præstans utique est roborans & firmans balnei nostri facultas, qua melius & certius, quam ullo alio auxilio, vitium hoc tollitur. Quæ in infantibus rhachiticis, in adultis morbo, aut alia ex causa elumbibus, nec non in senibus, ob ipsam ætatis rationem, præsto est ambulandi & artus expedite movendi impotentia, ab hoc remedio, si non tollitur penitus, eximie tamen levatur.

§. VII

Vicissim ubi partes rigido spasmo contrahuntur, aut distortæ comparant, idem hoc balneum, causam stricture submovendo, simulatque fibras nimium tensas subtili suo humore laxando, egregie prodest. Arthriticis præterea, podagricis omnibusque qui articularum morbis laborant, balneum hoc eximio est solatio, dum roborante suo effectu impedit, quo minus materia acris doloris causa denuo decumbere ibique colligi possit. Quamplura huius effectus prostant exempla, e quibus allegasse sufficit illorum, qui adscriptis versiculis eundem professi sunt, adducti in *Annal. Vratislav. medico-physic. anno 1706. Mens. Decembr. class. IV. artic. XIII.* nec non *anno 1706. Mens. Septembr. class. IV. artic. IX.* In aliis quoque partium ex-

ter-

ternarum doloribus, quæ a defluxionibus rhevmaticis, in scapulâ aut pedibus oboriuntur, nec non post luxationem articulorumque distorsionem remanent, aut circa vulnere in-signiorum cicatrices affligunt, eximium levamen affert balnei nostri usus.

§. II. X.

Accedunt tumorum corpus exterius obsidentium varia genera, quibus itidem balneum hoc medetur. Frequentissimæ ex his sunt observationis illi qui pedes occupant, oedematosi. Qui quum ab humorum difficili per pedes ascensu & secedente hinc seroso humido oboriantur, facile patet, stringentem fibras aquam nostram progressum intendere, & stagnantes succos protrudentem commodissime discutere intumescentiam. Neque etiam adeo insolens est, ut ob distracta in luxatione nimis ligamenta, membrum repositum ex facili iterum ex loco naturali discedat, aut ut subsequantur juncturarum tumores, aut plane ex glandularum ibi reperiendarum succo mucilaginoso concreseat callus, protuberet & motum membri intercipiat. Quo in casu nihil certe præstabilius est balneo hoc, quod fibras nimium elongatas adducit, ligamenta firmat, stagnantes ibi succos dissipat, & motum reddit. Illa quoque tubercula, quæ in collo, sub axillis, nec non in inguinibus, haud raro, maxime in scorbuticis corporibus, protuberant, & plerumque catarrhis, ulceribus, scabie aliisque ex impedito lymphæ progressu oriundis passionibus stipantur, promptissime aquæ nostræ externo usu discutuntur, tanto certius, quando simul congrua remedia interna sociantur.

§. IX.

In cutis defœdationibus variis, scabie veteri, ulceribus antiquis fordidis, imperigine, vulneribus non recte consolidatis, resiccans & subadstringens huius aquæ facultas oppido est præstabili, in balneo, sive lotionem adhibitæ, id quod tanto magis cum salute accidit, si interius simul congrua laxantia, diluentia & sanguinem purificantia in usum

VO-

vocantur. Nec in levi habenda medicinalis ipsius virtus, quam in oculorum vitis exferit. Si enim oculorum acies ob languorem nervosarum fibrillarum obtusior, si rubent, dolent, sippiunt & nimia humiditate obfidetur, aqua hæc vel lotionem applicata, vel linteaminibus ipsa madidis imposita, acres catarrhos hos resiccat partesque debiles leniter adducendo, opem fert exiniam.

§. X.

Tandem etiam mulierculis solatio est noster hic fons, iis quippe, quibus post puerperium, abortum, aut aliis ex causis, uterus remissior & ad novam conceptionem inhabilis redditus, mensum fluxus parcius, aut decolor factus, albus fluor prodit, hysterica pathemata cum præcordiorum anxietate, stomachi capitisque dolore, plumbeo aspectu, alvique segnitie molestias facestant, quibus totum corpus in languorem & ipse animus in tristitiam datur. Hoc enim balneo admissio, sanguini liber per universum corpus conciliatur com meatus, partesque quibus præter naturam incubuerat liberantur, laxatum uteri robur firmatur, vasa ad recipiendos ac transmittendos rite succos apta redduntur, sicque menstruus fluxus, cum pathematum discessu, revocatur, tanto magis, quando iis quæ excretionem promovent operatio balnei secundatur.

§. XI.

Tam salutare igitur effectus a fonte Lignicensi in multis & difficilibus morbis sunt expectandi, qui, ut ex voto obtineantur, rectus usus accedat, necesse est, de quo jam nonnulla præcipienda. In quocumque autem usu, interno tam, quam externo, necessarium est, ut ante eum primæ viæ a sordibus repurgentur, ne, quod *Fernelii, lib. II. therapevt. §. 20.* monitum est, copia crudi humoris in venis primis hærens, in omne corpus abripiatur. Seligenda hunc in finem corporum constitutioni & causæ morbi accommoda. Utillimam judicat Dn PRAESES potionem manna tam cum rhabarbaro & foliata tartari terra  
foeni-

Fœminarum corporibus & passionibus apprime conducunt pilulæ balsamicæ ad mentem Beccheri confectæ. Ac ubi crudarum crassarum & viscidarum sordium suspicio, aqua Sedlicensis, aut sal ex ipsa paratum, nec non Ebshamense sal, ex usu sunt. Neque sufficit tantum ante usum alvum ducere, sed & inter illum, pro circumstantiarum ratione semel aut bis, nec non post eum, idem facere expedit. Deinceps etiam ante usum dispiciendum est, an corpus sanguine redundet, quod ubi observatur, vena pertundenda & sufficiens copia subtrahenda. In omni porro usu exquisita vitæ viæque ratio habenda, & providendum, ne perversus rerum non naturalium usus spem in irritum cadere faciat. Mitto tamen specialiores diæteticas regulas ac tantum ut potius accommodus eligatur suadeo, qualem suggerunt ex Dn. PRÆSIDIS experientia aquæ Selteranæ vel Antonianæ, cum vino, nec non decocta ex speciebus appropriatis confecta.

§. XII.

De interius utendi ratione sigillatim multa monere supervacaneum duco. Rarius enim ex usu est, observanda passim nota & de aquis martiatis specialiora pluribus inculcavit Dn. PRAESES *in opusc. physico-med. pag. 405. sqq.* Balneum autem instituat manere, si passio contumacior etiam vesperis, sit temperate calidum, postremo paullo calidius. Laborans descendat in illud successive, desideat per horam, in capitis affectibus diutius adhuc. Surgens corpus detersum siccato probe indusio induat, lecto committat, pannis perfricet & sub stragulo aliquandiu ad sudorem componat, epotis aliquot infusi thee, medicati, aut jusculi patellis, vitetque postea aëris frigidioris accessum. Ingruente menses aut hæmorrhoidum stillicidio, intermittat, donec cessari titerum. Vfus balnei ad quatuor, vel sex hebdomades extrahatur, & si diu parti insedit morbus, repetatur. Alvus semper libera servetur, potissimum diætetis. Sanguis æstuans pulvere temperante componatur. Nec omittantur interna sanitatis præsidia, ægrotantium rationi accommoda, maxime acidulæ. Reliqua ex medentis iudicio suppleantur, aut ipse, si tulerit occasio, forsân supplebo.

Ul 923

ULB Halle  
004 179 358

3



TA → OL

nur 1 Stück und 10 verbände

Retros ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**FONTE MEDICA-**  
**TO LIGNICENSI**  
QVAM  
AVSPICE DEO OPTIMO MAXIMO  
SVB PRÆSIDIO  
**DN. FRIDERICI HOFFMANNI**  
FACVLTATIS MEDICÆ SENIORIS  
PRO  
**DOCTORIS IN MEDICINA GRADV**  
RITE OBTINENDO  
*ad d. IV. Octobris anni c1833.*  
H. L. Q. C.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SISTET  
AVCTOR  
**Christian Ehrenfried Rückert.**  
LIGNICENSIS SILESIVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

